

Joan. 6.  
56.  
Ibid 54.

catur, quod ad hoc dicitur, ut ab exhorrente timeatur. Dominus autem talia dicebat, quæ amari præciperet, non timeri. Et tamen quæ infidelitas sufferat: *Caro mea verè cibus est, & sanguis meus verè potus est; & Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis?* Si ergo Dei sapientia, verbis Sacramento congruis pascens animam credentem, non curavit insipientiam nauseantem: quanto magis eadem ipsa sapientia, ubi locus, & tempus timoris fuerat, non amoris, salubrem volens importare terrorem, non curavit insipientis errorem, quamvis ejus prævideret horrorem? Quis autem istorum spiritalem novit horrere animæ foeditatem, cum velut sua quadam fame atque egestate compellitur comedere, quæ de suis carnalibus cogitationibus tamquam de femoribus exeunt? Nam illius maledicti, quod iste velut turpe reprehendit, rarus effectus est; vix enim aliquandò tam magnum est flagellum famis, ut ad nefanda illa compellat: ista verò fame, qua miserorum animæ inopes veritatis ea pro veritate comedunt, quæ carnalibus sensibus pariunt, usquequaque plena sunt omnia, tanto infeliciùs, quanto nocet ampliùs, & horretur minùs.

53. Sed puto me unì libro illius, quem misistis, nostro non uno, ne nimium prolixus sit, respondere debere: proinde hic faciamus hujus finem, ut ex his quæ discutienda restant, aliud inchoetur. Nescio quo enim modo ita libri termino reficitur lectoris intentio, sicut labor viatoris, hospitio.

## LIBER SECUNDUS.

*In quo novi Testamenti loca, quæ Legis & Prophetarum Adversarius velut eis contraria collegit, discutiuntur.*

JAM nunc ea discutienda sunt, quæ iste de novi Testamenti libris suffragari sibi arbitratur adversus propheticas litteras, tamquam eas Apostoli Christi sua sententia condemnaverint. Quod ergo profanas & aniles fabulas, & genealogias infinitas appellasse Apostolum existimat divina eloquia Legis & Prophetarum, quia dixit: *Profanas & aniles fabulas devota* 1. Tim. 4. & alio loco: *Ne intendas fabulis judaicis,* 7. & *genealogiis infinitis, quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem:* quis ita nisi hæreticus multùm cæcus erraret? Cur enim hoc Apostolus ipse non fecit, si has esse aniles fabulas iudicavit? Cur dicit ad Galatas: *Dicite mihi, sub lege volentes esse, legem non legistis?* Scriptum est enim, quod Abraham 1. Tim. 1. & *duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: quæ sunt in allegoria; hæc enim sunt duo Testamenta.* Et ad Corinthios: *No- Gal. 4.21. Gen. 16. 15. & c. 21. 2. I. Cor. 10. 1.* lo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eundem cibum spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt: bibebant <sup>a</sup> enim de spiritali sequen-

R 2 te

<sup>a</sup> Lov. bibebant autem de spiritali sequente eos petra. At MSS. omisso eos, babent, bibebant enim, juxta græc.



*te petra, petra autem erat Christus.*

2. Nescit autem, habere præter Scripturas legitimas & propheticas judæos quasdam traditiones suas, quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quas deuteriosin vocant: ubi etiam dicere audent, & credere, Deum primò homini duas creasse mulieres; ex quibus texunt genealogias, verè, sicut ait Apostolus, infinitas, parientes infructuosissimas quæstiones. Sed si huic talia nunquam evenit audire; numquid & contra Evangelium sic oburdescere debuit, ut non adverteret verba Domini Christi, quibus arguit judæos, quòd de parentibus non honorandis impietatem docerent filios suos? Ibi quippè & Dei præceptum, quod in Lege conscriptum est, adtestando commemoravit. Nec ob aliud eos arguit, nisi quod rejicerent mandatum Dei, ut statuerent traditiones suas. Cum enim interrogassent Pharisæi, & Scribæ: *Quare discipuli tui non ambulant, juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?* ille respondens dixit eis: *Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, & calicum, & alia similia his facitis multa.* Et dicebat illis: *Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam. Et qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo pa-*  
*tri*

*Marc. 7.  
Matt. 15.*

*Marc. 7.5.*

*Isai. 29.  
23.*

*Exodi 20.  
12.*

*Lev. 20.  
9.*

*tri aut matri, Corban, quod est, donum quodcumque ex me tibi profuerit: & ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis, & similia hujusmodi multa facitis.* Ubi evidenter Christus ostendit, & illam Dei esse Legem quam profanus iste blasphematur, & judæos habere suas traditiones à libris prophetis & legitimis alienas, quas appellasse Apostolum profanas fabulas, & aniles, & genealogias interminatas, non hæreticus, sed catholicus lector intelligit. Porro si velim testimonia cuncta colligere, quibus ostendam, quemadmodum & ipse Dominus, & Apostoli ejus Lege usi fuerint & Prophetis, quas iste aniles fabulas putat, quandò sufficio? Aut cui non sufficiant ista quæ diximus?

3. NEC iste adversus lucem vocemque dominicam, vel apostolicam tam cæcus & surdus est, ut ignoret, quemadmodum à Christo, & Apostolis in libris ad novum Testamentum pertinentibus confirmetur Legis ac Prophetarum, & commendetur auctoritas. Proinde excogitasse se existimat, quo pacto subterfugiat moles testimoniorum in evangelicis & apostolicis litteris de libris veteribus positorum, quibus ejus, velit nolit, cervicata lingua conteritur. Ait quippè Apostolum pro qualitatibus ingeniorum in quinque personis locutum. „Insinuans enim rudi adhuc „populo, inquit, quæ Dei sunt, non debuit à perfectioribus incipere, & consuetudinem ab eis vetustatis excludens, à difficilioribus inchoare, ne novos adhuc ad fidem perfecta doctrina turbaret.” Deinde volens quasi probare quod dixit, eundem Apos-

CAPUT II.



1. Cor. 9. 19. a  
 tolum dicentem commemorat: *Cum liber sim ex omnibus, omnibus me a subiecti, ut plures lucrificerem: & factus sum judæis tamquam judæus, ut judæos lucrificiam; & iis qui sub Lege sunt, tamquam qui sub Lege essem, cum ipse non sim sub Lege, ut eos qui sub Lege sunt, lucrificiam; & iis qui sine Lege sunt, tamquam sine Lege essem, cum sine Lege Dei non sim, sed sim in Lege Christi, ut lucrificiam eos qui sine Lege sunt; factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrificiam; omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrificiam.* Has quatuor personas vult intelligi, in quibus Apostolum locutum putat, unam judæorum, alteram eorum qui sub Lege sunt, tertiam eorum qui sine Lege sunt, quartam infirmorum. Quinta debetur, quoniam quinque promiserat: hanc ut adderet: "Alio loco, inquit, superius jam dixit: *Sapientiam loquimur, inter perfectos;*" ut perfectorum videatur quinta persona. Hoc totum propterea molitus est, ut si quando aliquid de apostolica proferretur epistola, ubi adtestantur Evangelio Lex & Prophetæ, hoc dicat Apostolum, non sapientibus & perfectis, sed judæis locutum fuisse quasi judæum, vel eis qui sub Lege essent, tamquam esset & ipse sub Lege: ac per hoc subdolè atque mendaciter simulantem se apud imperfectos ædificare, quod apud perfectos, non mentiendo, sed vera dicendo destrueret. Hanc videlicet ei erroris machinationem, nescio quis Fabricius fabricavit, quem velut magistrum veritatis Romæ se invenisse gloriatur. Quis non hoc

mons-  
 a In editis, me servum subiecti. Abest servum à MSS.

monstrum, non dico sensus christianus, sed qualiscumque humanus exhorreat?

4. Primò enim considerandum est, quàm se fraudulentissimum & mendacissimum profiteatur, qui mentientem putat, & laudat Apostolum: & quod ille dixit, non fallentis astu, sed compatiens affectu, quia diversis animarum morbis tam misericordi corde subvenit, quàm sibi subveniri voluisset, si errore vel infirmitate simili laboraret, hic in fallaciam detestabilem vertit. Deindè quæro, ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Colosenses, Philippenses, Thessalonicenses, quomodo loquebatur Apostolus? In qua illarum quinque personarum eos esse deputabat? Procul dubiò quoniam in præputio gentes erant, non in circumcissione Israelitæ (ad hos quippe sibi distributum ministerium fuisse testatur, ubi dicit, quòd ei & Barnabæ dexteræ societatis dederint Petrus & Jacobus & Joannes, ut ipse quidem cum Barnaba ad gentes, illi autem ad circumcissionem irent: & alio loco apertissimè dicit: *Quamdiù ego sum gentium Apostolus;* et multis aliis locis proprio quodam munere doctorem gentium se esse testatur) cum ergo essent sine Lege tot gentes, quibus Evangelium prædicabat, quid opus erat ut eis Legem & Prophetas de Christo introduceret testes, eisque importaret ignavis vinculum, sicut ista pestis arbitratur, erroris, à quo eos fuisse liberos magis debuit gratulari? Quid opus erat ut ad Romanos sic fuisset exorsus: *Paulus servus Christi Jesu, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David*



secundum carnem? Quare non sibi potius personam imponit illorum? Quare se facit tamquam sub Lege, eis qui fuerant sine Lege? Ut quid eis dicit: *Vobis enim dico gentibus, quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum a glorificabo, si quomodo ad emulationem provocem carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis. Si enim rejectio illorum reconciliatio est mundi, quae erit assumptio, nisi vita ex mortuis? Si autem delibatio sancta est, & conspersio; & si radix sancta est, & rami. De Israelitis quippe ista dicit, de quibus ante jam dixerat: Quid ergo amplius est judaeo, aut quae utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum, fidem Dei<sup>b</sup> evacuabit? Deinde hic quod commemorare coeperam, sequitur, & dicit: Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum esses oleaster, insertus es in illis, & socius radicis factus es & pinguedinis oleae, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene, c incredulitate fracti sunt: tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Nam<sup>d</sup> si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcat. Vides ergo bonitatem & severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt*

<sup>a</sup> In MSS. glorifico. Græc. δὲ γὰρ.

<sup>b</sup> Ita MSS. At editi, evacuavit.

<sup>c</sup> Editi, in incredulitate. Particula in abest à MSS. & à græco textu Apostoli.

<sup>d</sup> Sic MSS. At editi, ne forte, nec tibi parcat.

runt severitatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris, & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali incisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam; quanto magis illi, qui secundum naturam sunt, inserentur suae olive. Nolo enim vos ignorare, fratres, sacramentum hoc, ut non sitis vobis sapientes, quia cecitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus<sup>a</sup> fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat & avertat impietatem ab Jacob, & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Nimis longum est cuncta percurrere, vel sicut per Scripturas apostolicas ubique sparsa sunt, ea in unam faciem congregare. Quid opus erat hæc dicere gentibus? Cur non potius sine Lege factus est eis, quemadmodum erant illi sine Lege? Cur non potius deos eorum laudavit, eorumque sacrificia prædicavit, si & ista Scriptura quam populus Israel accepit, & illa sacra gentium, sicut iste dicit, ad dæmonia pertinebant? Quid quod Deum Israel audet infelix dicere, non solum dæmonem, verum etiam ceteris dæmonibus<sup>b</sup> pejorem? Cur ergo Apostolus, qui omnibus omnia, non misericordia compatiante, sicut veritas ostendit, sed astutia fallente, sicut iste desipit, factus erat, non potius illorum dæmonum quos colebant Romani, quos dæmones putat iste mitiores, servum se esse

<sup>a</sup> Isai. 59.  
20.

<sup>b</sup> I. Cor. 9.  
22.

<sup>a</sup> Plures MSS. *set*. Quidam alii, *stat*.

<sup>b</sup> Antiquiores codices, *crudeliores*.



confinxit, ut fieret tamquam illi, ac sic eos  
lucrifaceret?

Ephes. 2.  
II.

5. Nonne item dicit ad Ephesios: *Prop-  
ter quod memores estis, quia vos quandò  
gentes eratis in carne, qui dicimini præpu-  
tium, ab ea quæ dicitur circumcisio in car-  
ne manufacta; qui eratis illo in tempore  
sine Christo, alienati à societate Israel, &  
peregrini Testamentorum, & promissionis spem  
non habentes, & sine Deo in hoc mundo;  
nunc autem in Christo Jesu vos, qui ali-  
quandò eratis longè, facti estis propè in san-  
guine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui  
fecit utraque unum, & medium parietem  
maceriæ solvens inimicitiam in carne sua,  
a Legem mandatorum a in decretis evacuans,  
ut duos conderet in se in unum novum homi-  
nem, faciens pacem, ut commutaret utrosque  
in uno corpore Deo, per crucem interficiens  
inimicitias in semetipso: & veniens evan-  
gelizavit pacem vobis qui eratis longè, &  
pacem his qui propè; quia per ipsum habe-  
mus accessum ambo in uno spiritu ad Pa-  
trem. Igitur jam non estis peregrini & in-  
quilini; sed estis cives sanctorum & domes-  
tici Dei, superædificati supra fundamen-  
tum Apostolorum & Prophetarum, ipso sum-  
mo angulari lapide existente Christo Je-  
su. Dicat iste blasphemus, quomodò propè  
dicit inventos Israelitas, qui pejori, quem-  
admodum blasphemat, dæmoni serviebant, &  
longè erant gentes, quæ mitioribus dæmoni-  
bus subditæ fuerant? Quomodò dicit aliena-  
tos*

a Editi, *Legem mandatorum decretis evacuans*: omis-  
sa particula, *in*, quam hic MSS. omnes græco textui con-  
sentientes representant.

tos fuisse à societate Israel, & peregrinos Tes-  
tamentorum & promissionis, quando erant spem  
non habentes, & sine Deo in hoc mundo,  
si Israel non Dei a populus erat? Contra istam  
tubam clarissimam & b excellentissimam b  
veritatis perstrepat atque insultat insanus, di-  
cens in personis quinque locutum Aposto-  
lum, ut alias ex aliis falleret, fingendo se esse  
quod non erat: cum videat eum gentibus, quæ  
longè fuerant à Deo Israelitarum, eundem  
Deum, eandem Legem, eosdem Prophetas,  
Testamenta eadem prædicare. Quis de angu-  
lari lapide prior locutus est? Nonne Prophe-  
ta Spiritu Dei plenus, quem pestis c ista blas-  
phemat? Ait enim: *Ecce pono in Sion lapi-  
dem angularem, electum, pretiosum, & qui  
crediderit in eum, non erubescet.* Quod tes-  
timonium commemoravit & Apostolus Petrus.  
Nonne prius in Psalmo pertinente ad litte-  
ras sacras populi prioris dictum est: *Lapidem  
quem reprobaverunt ædificantes, hic factus  
est in caput anguli?* His enim litteris eru-  
ditus Paulus Apostolus posuit, quod paulò  
ante commemoravi: *Ipsò summo angulari  
lapide existente Christo Jesu.* Unde ipse  
Dominus judæos, in quibus cæcitas ex parte  
facta est, convicit, confusosque reddidit, di-  
cens: *Numquàm legistis in Scripturis, la-  
pidem quem reprobaverunt ædificantes, hic  
factus est in caput anguli; à Domino fac-  
tum est istud, & est mirabile in oculis nos-  
tris?*

Isai. 28.  
16.  
Act. 4. 11.  
1. Petr. 2.  
6.

Psal. 117.  
22.

Ephes. 2.  
20.

Rom. 11.  
25.

Mat. 21.  
42.

a Hic editi addunt, & *Christi*: quod à præcipuis MSS.  
abest.

b Sic plerique MSS. At Am. & *excelsissimam verita-  
tem perstrepat.* Er. & Lov. & *excellentissimam veritatem  
perstrepat.*

c In MSS, *pestis iste.*



tris? Hæc ergo omnia mendaciter Christus ex Lege ac Prophetis, mendaciter Apostoli proferebant, sicut iste blasphematur, quia videlicet infirmi nondum poterant solidam capere veritatem? Itane cæcus ignorat, quod aliud sit nutrire parvulos, aliud decipere credulos; aliud alere ut crescant, aliud agere ne vivant? Talia quippè iste dicit ac sentit de Deo Legis & Prophetarum, ac de ipsis omnino litteris, ut secundum ejus sententiam, quam de illis habet, quando Apostoli prædicabant de illis Legem & Prophetarum Deum, & confirmabant auctoritatem talium Scripturarum, non lac potandum videantur dedisse parvulis, sed venenum. Quod de illis quisquis credit, desipit, vanescit, insanit.

1. Cor. 3. 1.

6. Ergo nè, ait aliquis, frustrà dixit Apostolus: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis: & Sapientiam loquimur inter perfectos: & Animalis homo non*

1. Cor. 2. 6.

Ibid. 14.

*percipit quæ sunt Spiritus Dei? Absit ut putemus eum inaniter, nec veraciter, ista dixisse. Numquid tamen idè credendus est, quemquam sibi credentium fallere voluisse? Dedit igitur parvulis parva, non falsa; lactea, non noxia; nutritoria, non peremptoria. Porro autem si non est verum quod ait: Filium Dei secundum carnem factum esse ex semine David: si non est verum, quod naturales rami propter incredulitatem fracti sunt, ut in radice sancta Israelitarum ex gentibus veniens fidelis insereretur oleaster, & fieret particeps pinguedinis oleæ: si non sunt eloquia Dei, sed nescio cujus, ut iste blasphematur, pessimi dæmonis, de quibus dicit: Pri-*

Rom. 8. 2.

mum

*mum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei: profectò qui hæc parvulis dabat, qui hæc tamquam vera prædicabat, qui credi volebat, debebat miseros, non alebat. Quod à fide atque doctrina veracium Christi Apostolorum quoniam esse scimus alienum, restat ut ipsum tamquam pestem atque hostem fidei christianæ vehementissimè detestemur, qui tanta excæcatur & præcipitatur amentia, ut non videat ipsum saltè Timotheum, cui putat auctoritate apostolica fuisse præceptum, ut tamquam fabulas aniles veterem Legem Prophetasque devitet, ab eodem Apostolo non fuisse fallendum, & in illa quinta perfectorum persona fuisse deputandum, ut ei non mendaciter loqueretur, dicens: *Memor esto Jesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine David secundum Evangelium meum.* Si enim Christus ex semine David fabulis anilibus prædicatur, quomodo eas jubetur iste devitare, quibus jubetur memoriter credere? Si autem Christus ex semine David veraciter prædicatur; <sup>a</sup> ibi est radix in qua oleaster inseritur, nec aniles sunt fabulæ, nisi præter eas Scripturas deliramenta judæorum, ad eam quam vocant deuteriosin pertinentia: non illa eloquia Dei quæ credita sunt circumcisioni, ubi etiam carnales judæi Christum ex semine David venturum esse didicerant, sicut interroganti Domino respondebant, quamvis eum Dominum ipsius David, non secundum carnem, sed secundum divinitatem intelligere non valerent. Utrumque tamen est in illis eloquiis, & quod cre-*

1. Tim. 4.

7.

2. Tim. 2.

8.

Matt. 22.

42.

<sup>a</sup> Ita MSS. At Editi, ubi est radix in qua oleaster inseritur? Nec aniles sunt, &c.



*Psal. 131. II.* debant, & quod non intelligebant: & *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam;* propter Christum ex semine David: & *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam;* propter Christum, Dominum etiam ipsius David.

*Rom. 9. I.* 7. Itanè verò fallaciter dicebat Apostolus: *Veritatem dico in Christo, non mentior, contestante mihi conscientia mea in Spiritu Sancto, quia tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio, & gloria, & testamenta, & Legis constitutio, & obsequium, & promissiones; quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen?* Veritatem se dicere clamat Apostolus in capite hujusce sententiæ, & hoc in Christo qui est ipsa veritas, contestante sibi conscientia sua in Spiritu Sancto, eamque sententiam per *Amen* concludit in fine: & dicit iste: Non sunt vera quæ hic Apostolus loquitur, fallit infirmos, quia non possunt capere veritatem, parvulos vanitatibus lacertat, & esurientibus filiis diabolicorum mendaciorum virus infundit ut nutriat. O portentum non solùm à christianorum auribus, verùm etiam à finibus christiani orbis arcendum! Hæccine adoptio, hæc gloria, hæc testamenta, hæc Legis constitutio, hoc obsequium, hæc promissiones, hi patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, fabulæ sunt aniles? Quod jubetur præcipuè tenere, qui jubetur devitare fabulas aniles, qui sunt aniles? Sed

8. Sed quid mirum si tanta impietate delirat, qui Legis vult esse destructor; si quosdam idem Apostolus dicit volentes esse Legis, non destructores, sed doctores, non intelligere neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant? Verùm nos illud quod secutus adjunxit, adversus utrosque teneamus. Continuo quippè, ne quis existimaret ideò illos non intelligere quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, quoniam Legis malæ volunt esse doctores: *Scimus autem*, inquit, *1. Tim. I. 8.* *quia bona Lex est, si quis ea legitime utatur.* Hæc sententia & illos refutat, qui Legem utuntur malè, & eos qui illam opinantur malam. Porrò si bona est, qua dementia negatur Deus bonus, qui dedit Legem bonam? Quæ potest videri sufficere damnatio his hominibus, qui Legem, quam sic Apostolus laudat, anilium fabularum nomine accusant? Et hoc se existimant facere ejusdem epistolæ testimonio, ubi eam sic Apostolus laudat: volentes esse Legis, non doctores, sed blasphematores, non intelligendo quæ loquantur, neque de quibus affirmant.

9. „SED fieri non potuit, inquit, ut à ju- CAP. III.  
dæorum Prophetis Salvatoris nostri annun-  
tiaretur adventus. Cur fieri non potuit, Rom. 3. 2.  
cum dicat Apostolus: *Quia credita sunt illis eloquia Dei?* Sed ante Salvatoris adventum, inquit, „Spiritus Sanctus ac divinus  
non erat super terram. Hoc vanitas, non veritas loquitur. Nam quo nisi Spiritu Sancto Prophetas suos Dominus implevit, de quibus in epistolæ exordio dictum est ad Romanos, quod & supra commemoravi: *Pau- Rom. I. I.*  
lus servus Christi Jesu, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelio Dei, quod an-



ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem? Et hoc quidem testimonium etiam iste posuit, prohibens eum ad quem scribit aliis Prophetis credere de Christo, præter illos quos Prophetas ejus ad Romanos dicit Apostolus: quos credo non arbitratur Prophetas fuisse judæorum. Sed cujuslibet eos fuisse gentis opinetur, cur ibi non advertit: Quod ante promiserat per Prophetas suos? Per quoslibet enim Prophetas suos si ante promisit Evangelium de Filio suo, quid est quod iste dicit sanctum ac divinum Spiritum super terram non fuisse ante Salvatoris adventum? Et tamen isti unde potuerunt esse Prophetæ, annuntiantes Christum ex semine David secundum carnem, nisi cujus gentis erat ipse David, de cujus semine Christus à Prophetis Dei promissus est esse venturus?

10. » Sed Lex, inquit, per Moysen data est: veritas autem à Christo Jesu est. Non ita scriptum est: sed ita: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Lex igitur data est per Moysen: facta est autem gratia per Jesum Christum, cum per ejus Spiritum caritate diffusa in cordibus nostris, fit ut quod Lex præcipit, impleatur. Quod enim per litteram jubetur, non littera, sed Spiritu impletur. Unde illud quod scriptum est: *Non concupisceas;* per Moysen Lex est, quia jubetur: sed per Christum fit gratia, quando quod jubetur, impletur: veritas autem facta est per Christum, propter illa quæ in prophetia Legis sunt promissa, quia in Christo eminent reddita.

11. Apostolus verò quod ait ad Romanos:

nos: Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent quem non audierunt? de gentibus dixit, non de judæis, sicut hic somniat. Eos enim volebat refellere Doctor gentium, qui putabant genti tantummodo judæorum, non etiam incircumcisis gentibus Evangelium prædicandum. Quod volens ostendere, non ad judæos tantum, sed ad omnes gentes pertinere, prius posuit testimonium de Propheta: *Erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit:* ac deinde cum dixisset: *Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent quem non audierunt;* continuo subjunxit: *Quomodo autem audient sine prædicante, aut quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ita refutans eos qui negabant ad incircumcisas gentes prædicatores Christi esse mittendos.

12. Illud quoque, sicut imperitissimus, non intelligit, quod scriptum est: *Primum Apostolos, deinde Prophetas.* Putat enim ante Apostolos non fuisse Prophetas, nesciens eos Prophetas illic commemoratos esse ab Apostolo, qui post Christi adventum fuerunt. Quos qui vult nosse, Actus Apostolorum legat, & illud quod ait ad Corinthios: *Prophetæ autem duo aut tres loquantur.* Si autem non fuerunt Prophetæ ante Apostolos, qui erant illi per quos Deus ante promisit Evangelium de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem? Quis erat qui dixit: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quis erat qui dixit: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniqui-*

Rom. 10.  
14.

Joel. 2. 32.

I. Cor. 12.  
28.I. Cor. 14.  
29.

Rom. 1. 2.

Psal. 117.  
22.

Ps. 44. 7.



tatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis? Quomodo Deus, cujus thronus est in sæculum sæculi, ungitur à Deo, nisi Christus Jesus, qui ex ipsa unctione Christi nomen accepit? Chrisma quippè unctio est, Christus unctus est. Quis erat qui dixit, quòd ipse Christus de se testatur esse prædictum: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis?* Et hoc David in Spiritu dixisse confirmat, quem Spiritum negat iste fuisse super terram ante Domini adventum. Quid est quod ait

*Rom. 15. Apostolus: Dicit autem Isaias: Erit radix Jesse, & qui exsurget regnare in gentibus, in eum gentes sperabunt?* Quis erat Spiritus, qui per eundem Isaiam tantò antè prædixit: *Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet; & nos putavimus eum esse in dolore, & in plaga, & in afflictione. Ipse vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras: disciplina pacis nostræ super eum; & livore ejus sanati sumus: omnes quasi oves erravimus, homo in via sua erravit; & Dominus tradidit eum propter iniquitates nostras. Et ipse propter afflictionem non aperuit os: sicut ovis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium ejus sublatum est: generationem illius quis enarrabit? Quia tollitur de terra vita ejus. Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem; & cetera quæ contexere longum est. Ubi etiam de Ecclesia tanto antè prædictum est, quod ab Apostolo legimus commemoratum, & nunc jam videmus impletum: *Læ-**

*Marci 12. 36. Psal. 109. 1.*

*Rom. 15. 12. Isai. 11. 10.*

*Isai. 53. 4.*

*Gal. 4. 27.*

*ta-*

*zare, sterilis, quæ non parit; erumpe & exclama quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum. Dixit enim Dominus, dilata locum tabernaculi tui, & aulæorum tuorum: fige ne parcas, protende funiculos, & clavos tuos conforta; adhuc in dextris & sinistris dilata: & semen tuum possidebit gentes, & civitates desertas habitari a facies. Noli timere quia confusa es, neque reverearis quia exprobratum tibi est. Confusionem enim æternam oblivisceris, & opprobrii viduitatis tuæ memor non eris. Quia Dominus qui fecit te, Dominus Sabaoth nomen ei; & qui eruit te Deus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. Quis est qui dixit: Videbam in visu noctis, & ecce cum nubibus cæli ut filius hominis erat veniens, & usquè ad vetustum dierum pervenit, & in conspectu ejus prælatus est: & ipsi datus est principatus, & honor, & regnum: & omnes populi, tribus, linguæ ipsi servient: potestas ejus potestas perpetua, quæ non transibit, & regnum ejus non corrumpetur? Hæc & alia multa atque manifesta de Christo & Ecclesia, undè prædicta sunt, quæ sic videmus impleta, & consonantibus Evangelicis atque Apostolicis litteris etiam speramus implenda, si Spiritus Dei ante adventum Christi non fuit super terram; vel si à Prophetis Israel non est Christi prænuntiatus adventus, sicut hic desipit, qui Christum negando ante promissum, non habet unde asserat missum? Et meritò, quia ipse quem prædicat, nec missus est, nec promissus: verus quippè non est, sed fictus.*

*Dan. 7. 13.*

S 2

JAM

a Veteres quidam codices, *facias.*



CAPIT IV. 13. JAM illud non miror, quod homo ineruditus de Prophetis judæorum existimat dictum, quod ait Apostolus: *Dixit quidam ex ipsis proprius eorum propheta: Cretenses semper mendaces, male bestiae, ventres pigri: testimonium hoc verum est*; ignorans dictum esse de quodam Epimenide, qui cretensis fuit, in cujus libris hoc invenitur; qui homo inter Prophetas Dei non invenitur, nec ad illa eloquia Dei pertinet, quæ judæis dicitur credita, qui non mentitur. Ideò non commemoravit Apostolus nomen ejus, sicut solet commemorare Prophetas Dei aliquando dicens: *Sicut & David dicit: Isaias autem audet, & dicit: sicut & Osee dicit: vel tacitis eorum nominibus, cum dicit: Sicut scriptum est*; & ea Scriptura intelligitur, in qua est auctoritas Dei: aut evidenter Deum dicere asserit, cum aliquid adhibet testimonium de Lege vel Prophetis Dei, quale est illud: *Bovi trituranti os non infrenabis. Numquid de bobus, inquit, cura est Deo? An propter nos Scriptura dicit?* Ostendens utique in eadem Scriptura Deum loqui. Vel illud: *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuñtiavit Abraham dicens: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ipsam Scripturam pro Deo posuit, quia Dei est. Vel illud de Abraham: In promissione, inquit, Dei non hæsitavit incredulitate, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, & plenissimè credens, quia quæ promisit, potens est & facere. Contra quam divinam & apostolicam vocem canis iste rabiosus oblatrans, ausus est dicere, Abraham Deo suo promittenti prolem non credidisse, ignorans illud quod ait: *Si mihi centum**

Rom. 4. 6.  
Rom. 10. 20.  
Rom. 9. 25.  
Deut. 25. 4.  
1. Cor. 9. 9.  
Gal. 3. 8.  
Gen. 22. 18.  
Rom. 4. 20.  
Gen. 17. 17.

an-

annos habenti nascetur filius, admirantis esse gaudium, non diffidentiam dubitantis. Vel illud: *Non potest excidere verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel, ii sunt Israel; a neque quia sunt semen Abraham, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen: hoc est, non ii qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen. Vel illud de Elia: Sed quid dicit illi responsum divinum? R. liqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. His atque hujusmodi adestationibus, Dei boni & veri esse Scripturas illas, quas iste blasphemavit, Apostolica commendat auctoritas. Ubi autem etiam aliquid de auctoribus gentium dicit Apostolus, non eos appellat Prophetas Dei, nec illarum scripturarum Deum dicit auctorem, quamvis ibi aliqua vera reperiat, sicut de isto cretensi ait: *Dixit quidam ex ipsis proprius eorum propheta: Cretenses semper mendaces.* Non ergo judæorum proprius, sed cretensium: quod utique ad hoc dictum est, ne Dei Propheta putaretur. Et in Actibus Apostolorum cum loqueretur atheniensibus, ait de Deo: *In illo enim vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam secundum vos dixerunt.**

Rom. 9. 6.  
a  
Rom. 11. 4.  
3. Reg. 19. 18.  
Tit. 1. 12.  
Act. 17. 28.

14. „Sed Apostolis, inquit, Dominus „noster interrogantibus de judæorum Prophetis quid sentiri deberet, qui de adventu „ejus aliquid cecinisse in præteritum putabatur, commotus talia eos etiam nunc sentire, respondit: *Dimisistis vivum qui ante vos est, & de mortuis fabulamini.* Quid mirum (quandoquidem hoc testimonium de

s 3 scrip-

a In MSS. secundum græc. At editi, neque qui sunt.



scripturis nescio quibus apocryphis protulit) si de Prophetis Dei talia confinxerunt hæretici, qui easdem litteras non accipiunt? Nam in Evangelio Dominus, quod non est apocryphum, sed <sup>a</sup> in luce veritatis omnibus notum, etiam post resurrectionem discipulis in itinere comitatus, incipiens à Moysè, per omnes Prophetas, hæc de se quæ facta fuerant, prædicta monstravit.

Luc. 24. 27.

15. De ipso, inquit, iterum arguit, ubi dicit: *Multi mihi dicent in illa die: Domine, in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc dicam illis: Recedite à me, quoniam nunquam vos scivi, quia operati estis iniquitatem.* Absit ut ista de Prophetis sanctis, in quibus erat Moyses & ceteri, Dominus dixerit: sed dictum est de iis, qui post ejus Evangelium prædicatum, in ejus nomine sibi loqui videntur, nescientes quid loquantur; in quibus & iste sibi locum periturus invenit.

16. Illud quoque, ait, dixisse Dominum: *Ego sum janua ovium: omnes alii quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones. Non autem ita scriptum est, sed ita: Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones. Venisse quippè hoc loco intelligi voluit eos qui missi non fuissent: quos arguit etiam Jeremias, dicens: Hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, & ego non misi eos.* Illi autem quos insanus iste blasphemavit, à Domino missi sunt, non sponte venerunt. Quos & Dominus per parabolam quidem, sed apertissima significatione declarat, ubi

<sup>a</sup> Plures MSS. sed duce veritatis.

ubi dicit: *Aliam parabolam audite. Homo erat pater familias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & edificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt. Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est heres, venite occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus. Et apprehensum ejecerunt eum foràs extra vineam, & occiderunt. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Ajunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructus temporibus suis. Dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem quem repronaverunt edificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Idèd dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Quid hoc apertius, quid clarius, quid evidentius? Sed iste de illorum numero est, qui servos patris familias hujus lapidaverunt. Hoc enim facit, non ictibus saxeis, sed maledictionibus duris. Nam & primitus in gente judæorum vineam Dei esse plantatam, missosque Prophetas ante ipsum esse Salvatoris adventum, parabola ista testatur. Et cum dicit: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur**

Matth. 21.

33.

Psal. 117.

22.